

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIV - N. 1

2002

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

Semestrale

IUNIO 2002

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Litterae Apostolicae Motu Proprio datae quibus de sacramento paenitentiae celebrationem quaedam rationes explicantur (<i>Misericordia Dei</i>)	3
Epistula: Venerabili Fratri Licinio Rangel dilectisque Filiis Unionis Sancti Ioannis Mariae Vianney Camposinae in Brasilia	11
Allocutio Summi Pontificis ad Auditores, Administros, Advocatosque Rotae Romanae coram admissos	13
Ex Allocutione ad eos qui in Assemblea Generali Academiae Pontificiae pro Vita partem habuerunt	19

EX ACTIS CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	24
RELATIONES CUM IURIS CANONICI STUDIOSIS	25
Allocutio Exc.mi Praesidis apud Universitatem Catholicam Mediolanensem « <i>Il Diritto Canonico, Perché?</i> » habita	25

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM	46
Decretum quo <i>Regulae Servandae</i> ad nullitatem sacrae Ordinationis declarandam foras dantur	46
CONGREGATIO PRO EPISCOPIS	
Decretum de Administratione Apostolica personali « Sancti Ioannis Mariae Vianney » condenda	57

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XII)	61
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XIII)	82
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio XIV)	119
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	146

COETUS STUDIORUM
« DE MATRIMONIO »

Sessio XIV^a
(dd. 13-18 decembris 1971 habita)

Diebus 13-18 decembris 1971, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Casoria, Lourdusamy, Schneider et Bank; et Ill.mi ac Rev.mi Damizia, Quinn, Garcia Barberena, Chen, Cremin, de Clercq, Flatten, Che, Huizing et Leclerc et Ill.mus Giacchi.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev.mus Voto, a studiis eiusdem Commissionis.

Secundae adunationi praefuit Em.mus Cardinalis Pericles Felici, Praeses Commissionis; caeteris adunationibus praefuit Rev.mus P. Bidagor. Rev.mus P. Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto munere actuarii.

In praesenti Sessione examinata est quaestio de consummatione matrimonii et deinde facta est recognitio canonum 1114-1117 et 1118-1119.

Relator quaestiones de consummatione matrimonii peculiari voto scripto Consultoribus proposuit.

Adunatio I^a
die 13 decembris 1971 - mane habita

Rev.mus Secretarius salutem dicit omnibus Consultoribus et Rev.mum Relatorem rogit ut quaestiones examinandas proponat.

Rev.mus Relator proponit ut discussio fiat circa quaestionem consummationis matrimonii. Cum in praesenti Sessione agendum sit de dissolutione vinculi matrimonii non consummati, opportune hic iterum ponitur quaestio utrum conveniat necne in novo iure matrimoniali dare definitio nem consummationis, seu actus quo consummatio perficitur, qui actus vocari solet copula perfecta.

In CIC quaedam definitio copulae perfectae praebetur in can. 1081, § 2 per illa verba: « ...actus per se aptos ad prolis generationem ». Ex hac notione iurisprudentia et doctrina deduxerunt elementa essentialia copulae perfectae, scilicet penetratio membra virilis in vaginam mulieris et emissio seminis in ea.

In novo can. 1081, § 2, a Coetu nostro recognito, illa notio copulae perfectae deest.

Neque in can. 1015 hic Coetus alia elementa de notione consummationis addidit, nisi quae habentur in CIC (can. 1015, § 1) scilicet matrimonium consummatum «si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro». Hic non datur ulterior definitio huius actus coniugalis, neque eiusdem elementa essentialia recensentur.

Cum res ita se habeant, hic Coetus nunc decernere debet num desideratur in novo Codice ulterior notio actus coniugalis, quae quidem notio iam sufficienter haberetur si verba can. 1015 ita mutarentur: «...si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, seu actus *per se aptus ad prolis generationem*, ad quem natura sua etc...». Haec additio sufficere videtur ad habendam notionem actus coniugalis, cum hodie de elementis essentialibus huius actus praxis Congregationum Romanarum, iurisprudentia tribunalium et doctrina satis convenient, excepta controversia de «vero semine», de qua tamen ad can. 1068, § 1.

Quoad alias quaestiones quae spectant sive ad consummationem psychologicam, quam vocant, sive ad voluntarietatem copulae consummativae matrimonii, Rev.mus Relator censet tales quaestiones non esse solvendas a Coetu nostro, qui involvunt quaestiones doctrinales de quibus iudicare debet auctoritas suprema magisterii Ecclesiae.

Rev.mus Secretarius censet notionem consummationis, prout habetur in can. 1015, esse nimis vagam in contextu huius temporis in quo non univoca interpretatio datur de verbis «fiunt una caro». Coetus considerare debet num conveniat aliquid addere in novo Codice, ita ut notio consummationis non penitus demandetur doctrinae.

Exc.mus primus Consultor censet quaestionem hanc esse magni momenti, quia omnes causae dispensationis super ratum et non consummatum pendent a solutione huius quaestione. Quamvis quaestio sit difficilima et omnis definitio in iure sit periculosa, convenit ut aliqua descriptio elementorum vere essentialium consummationis extet in lege, ne aditus praebeatur hodiernis theoriis secundum quas ad consummandum matrimonium requiritur non solum actus physicus copulae perfectae, sed etiam illa unio animorum quae vere coniugalis dici potest.

Exc.mus secundus Consultor dicit definitam notionem consummationis esse magni momenti sive in lege, sive pro iurisprudentia, sive pro ipsa vita hominum. In CIC talis notio habetur, saltem quoad elementa essentialia et talia elementa in novo Codice sustinere debentur, ne habeatur peior conditio in nova lege.

Exc.mus tertius Consultor accedit ad sententiam Rev.mi Relatoris in quantum proponit ut ad melius intelligendam notionem consummationis matrimonii in can. 1015, § 1 addatur mentio de «actu per se apto ad prolis generationem». Attamen, quoad redactionem formulae canonis, Exc.mus tertius Consultor non approbat comma propositum a Rev.mo Relatore, scilicet «si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, seu actus per se aptus ad prolis generationem». Nam per particulam «seu» actus coniugalis nimis ad finem generationis restringi videtur, elementis de animi expressione posthabitatis. Exc.mus tertius Consultor praeferit et proponit ut mentio de actu per se apto ad prolis generationem fiat per propositionem relativam hoc modo: «matrimonium dicitur consummatum si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, ad quam natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro et qui ponitur ut actus per se aptus ad prolis generationem». Ita evitatur impressio aspectum biologicum p[re]e antropologico-psychologico unice in notione copulae perfectae spectari. Ceterum iurisprudentiae et doctrinae, sicut usque nunc, erit ulterius determinare elementa essentialia copulae perfectae.

Praeterea Exc.mus tertius Consultor censet matrimonium consummari copula perfecta actu humano posita; copula facta ut mere actus hominis (sive vi extorta sive absque conscientia voluntate) non sufficit ad consummandum matrimonium. Sed haec quaetio in Codice inserenda non est.

Exc.mus quartus Consultor notat post Concilium Vaticanum II permulta opera de matrimonio scripta esse et novas prorsus opiniones prodierisse. In his libris communis est lamentatio de conditione matrimoniorum in toto orbe terrarum tristissima. Divortia enim modo horribili multiplicantur. Permulti fideles in novo invalido matrimonio, seu civili, viventes, stimulis conscientiae valde cruciantur et a sacramentis arceri debent et ita subsidiis spiritualibus Ecclesiae privantur, quod quidem aliquo modo in liberos redundat.

Novae theoriae autem post Concilium et sub evolutione scientiarum modernarum relationes interpersonales et matrimonium ipsum alio sub respectu consideranda esse ac antea. Iure quo utimur *absolute* indissolubilia ea tantum matrimonia sunt, quae inter baptizatos fuerint contracta seu sacramenta sunt, et praeterea copula perfecta consummata fuerint. Indoles *sacramentalis* nempe *absolute* non reddit matrimonium insolubile; datis enim certis circumstantiis matrimonium ratum a Summo Pontifice potestate vicaria solvitur. Neque consummatio sola reddit matrimonium insolubile, nam privilegio paulino et petrino in certis casibus matrimonium solvi potest. Ideo auctores moderni ita arguunt: si neque sacramentalitas sola et per se, neque consummatio sola et per se matrimonium red-

dunt insolubile, quaenam sunt rationes theologicae quae ex combinatione duorum elementorum matrimonium reddunt insolubile?

Ex dictis appetit rationes theologicas indissolubilitatis profundorem mereri investigationem, quae tamen non ab hoc Coetu sed a Commissione Theologica, de mandato Summi Pontificis, facienda esset.

Quod attinet ad consummationem sic dictam psychologicam, Exc.mus quartus Consultor dicit talem opinionem nullo modo acceptari posse ut pote contraria doctrinae et praxi millenariae Ecclesiae, quin dicatur de periculo totalis subversionis matrimoniorum quorum validitas et firmitas semper in incerto essent, cum probari vix posset talem consummationem psychologicam habitam esse.

Rev.mus quintus Consultor concordat cum Exc.mo quarto Consultore circa implications theologicas huius quaestio[n]is quae examinanda[nt] essent a Commissione Theologica. Coetus autem hic non multum digredi potest a textu can. 1015; ad summum addere posset aliquid circa voluntariatatem actus coniugalis, ut nempe « humano modo » habeatur. Ex progressu scientiae non desunt aliqua nova elementa in hac materia, uti ex. gr. refectio vaginalae, sed de his videre debet iurisprudentia.

Rev.mi sextus, septimus, octavus, nonus et decimus Consultores censem necessariam esse in novo Codice aliquam definitionem, quae contineat elementa omnino essentialia consummationis.

Rev.mus undecimus Consultor monet Consultores ne foveatur tendentia multiplicandi possibilitates dissolutionis vinculi matrimonialis. Indissolubilitas et dignitas sacramenti sunt enim realitates obiectivae quae non pendent a desiderio adiuvandi coniuges qui male suum matrimonium vivunt. Ideo etiam quoad consummationem oportet illam describere in lege tali modo ut non facile pateat via dissolutionis matrimonii ratione inconsummationis.

Rev.mus duodecimus Consultor accedit ad alios Consultores circa necessitatem ponendi in nova lege aliquam descriptionem notionis consummationis quae praebat elementa omnino essentialia ipsius consummationis; attamen oporteret aliquid innuere circa consummationem psychologicam ita ut iurisprudentiae non praeccludatur omnino via, quae respondet hodiernis conceptionibus sexualitatis in matrimonio.

Ill.mus tertius decimus Consultor postulat ut illud « fiunt una caro », canonis 1015, magis determinetur addendo « actus per se aptos ad prolis generationem » et praeterea expresse mentio fiat de copula *ut actus humanaus*.

Rev.mus Secretarius Consultores monet ut sedulo considerent matrimonium, semel contractum, esse intrinsece indissolubile, ideoque non fas

est loqui de consummatione quasi ab ipsa pendeat dissolubilitas vel indissolubilitas matrimonii.

Consummatio est factum aliquod iuridicum, quo posito, Summus Pontifex non potest amplius exercere suam potestatem solvendi extrinsece matrimonium. Quare munus Coetus est enucleare elementa essentialia huius facti iuridici.

Facta hac discussione ex qua apparet omnes Consultores convenire circa opportunitatem definiendi actum quo matrimonium consummatur, pressius examinantur elementa essentialia consummationis, quae in canone exprimi debent.

Exc.mus primus Consultor censet quod aspectus personalis actus coniugalis sufficienter exprimitur per verba «*coniugalis actus*». Ideo essentialia elementa consummationis habentur in his verbis in canone ponendis: «si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus per se aptus ad prolis generationem». Verba «et quo coniuges fiunt una caro» non sunt necessaria, tamen addi possunt.

Exc.mi primus, tertius, et quartus Consultores et Ill.mi octavus, sextus, septimus, nonus, undecimus et quartus decimus Consultores censem in CIC iam haberi omnia elementa essentialia consummationis, ideo sufficit ut, prout propositum est a Rev.mo Relatore, in can. 1015 inserantur verba «actus per se aptus ad prolis generationem».

Ill.mi quintus, decimus, duodecimus et tertius decimus Consultores praeterea petunt ut in can. 1015 expresse dicatur quod actus coniugalis debet esse humano modo factus, quae qualitas secundum Rev.mum quintum Consultorem exprimi potest uno tantum verbo, scilicet actus coniugalis *voluntarius*.

Adunatio II^a
die 14 decembris 1971 - mane habita

Huic conventui praeest Em.mus Card. Praeses.

Rev.mus Relator praebet Consultoribus formulam aliquam in qua inclusae sunt omnes propositiones factae a Consultoribus, ita ut singillatim de ipsis decerni possit utrum retineri debeant in canone necne:

« Matrimonium baptizatorum dicitur...ratum et consummatum, si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus (*voluntarius*) (humano modo habitus) (per se aptus ad prolis generationem), ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis et quo coniuges fiunt una caro (et qui ponitur ut actus per se aptus ad prolis generationem)».

Examinantur singulae emendationes propositae.

1. «*Voluntarius*»

Em.mus Praeses dicit verba «coniugalis actus» iam sufficienter continere elementum voluntarietatis quia actus inter coniuges est actus inter personas et persona dicitur agere si sciens ac volens aliquid facit. Ceterum verbum «voluntarius» non esset sufficiens, quia aliquis actus potest esse voluntarius quin sit liber et praeterea oporteret determinare num agatur de voluntario actuali vel habituali.

Rev.mus Secretarius respondet planam interpretationem verborum actus coniugalis praeiudicatam fuisse a responsione S. Officii, secundum quam matrimonium consummatur etiam per copulam, ceteroquin integrum seu perfectam, sed peractam sub influxu mediorum, quae conscientiam tollunt, vel etiam vi extortam, circa quam responsionem non unanimes fuerunt consensus inter auctores.

Exc.mi primus et secundus Consultores censem esse valde periculosum addere verbum «voluntarius», scilicet requirere elementum voluntarietatis ad hoc ut actus coniugalis sit consummativus matrimonii.

Exc.mus quartus Consultor dicit illam responsionem S. Officii non continere sententiam novam in iure, quia iam auctores magni nominis, ut Fagnanus et Hostiensis, censuerunt per copulam etiam vi extortam consummari matrimonium.

Suffragatur utrum placeat addere verbum «voluntarius» necne:

Placet 1; non placet 15.

2. «*humano modo habitus*»

Rev.mus quintus Consultor censem in iure haberi praeumptionem quod actus coniugalis fiat humano modo, et consequenter ille tantum actus dicitur *coniugalis* qui fit humano modo.

Talis etiam videtur mens Concilii Vaticanii II, uti appareat ex Constitutione *Gaudium et spes* (n. 49), ubi haec habentur «Actus quibus coniuges intime et caste inter se uniuntur, honesti ac digni sunt et, *modo vere humano exerciti*, donationem mutuam significant et fovent etc...».

Ideo Rev.mus quintus Consultor concludit circa opportunitatem addendi in lege hanc qualitatem copulae, scilicet ut habeatur humano modo.

Exc.mus primus Consultor negat talem notam distinctivam actus coniugalis, nam etiam extra matrimonium haberi potest copula, *modo humano facta*, quin tamen illa copula sit coniugalis.

Rev.mus quartus decimus Consultor item negat quod copula debeat

esse « modo humano facta » ut consummetur matrimonium, nam nota aliqua essentialis alicuius facti debet esse facilis probationis; iamvero difficulter probaretur inter coniuges locum habuisse copulam *humano modo factam*.

Rev.mus Secretarius in mentem revocat notam distinctionem inter actum hominis et actum humanum et ideo legitime quaeri potest num per actum hominis consummetur matrimonium.

Suffragatur utrum placeat addere verba « humano modo habitus » necne:

Placet 8; non placet 8.

Tamen, non obstante exitu huius suffragationis, 13 Consultores contra 3 petunt ut aliquo modo innuatur in canone quod actus coniugalis fieri debet « humano modo ».

Rev.mus Secretarius proponit hanc solutionem: loco dicendi modo impersonali « si inter coniuges locum habuerit coniugalis actus, humano modo habitus », adhiberi posset locutio qua directe exprimitur actio personalis coniugum; ex. gr. dici posset: « Matrimonium baptizatorum dicitur...ratum et consummatum, quando coniuges humano modo posuerunt coniugalem actum etc... ».

Propositio Rev.mi Secretarii pluribus Consultoribus placet quod attinet ad substantiam, scilicet in lucem ponendi actionem personalem coniugum: minus autem placet propositio dicendi « *quando* coniuges » loco « *si* coniuges ».

Suffragatur utrum placeat verbum « quando » necne:

Placet 6; non placet 9.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut comma ita compleatur: « Si coniuges *inter se* humano modo posuerunt coniugalem actum, etc... ».

Circa hoc comma fiunt duo suffragationes:

(1) utrum placeant verba « *inter se* » necne:

Placet 9; non placet 6.

(2) utrum placeant verba « *humano modo* » necne:

Placet 8; non placet 7.

Quamvis maioritas suffragiorum sit pro verbis "humano modo", tamen Consultores unanimiter volunt ut haec verba ponantur inter uncos ita ut appareat titubatio Consultorum circa hanc additionem.

3. «*Per se aptus ad prolis generationem*»

Primo suffragatur utrum placeat addere haec verba in can. 1015 necne:
Placet 11; non placet 4.

Deinde suffragatur utrum placeat propositioni Exc.mi tertii Consultoris ponendi eadem verba in fine canonis necne:

Placet 5; non placet 10.

4. «*Ad quem natura sua ordinatur contractus matrimonialis*»

Suffragatur utrum placeat retinere haec verba necne:
Placet 12; non placet 2; placet iuxta modum 1.

Modus:

Dicatur «matrimonium» loco «contractus matrimonialis»:
Placet 11; non placet 4.

5. «*et quo coniuges fiunt una caro*»

Omnibus placet retinere haec verba in can. 1015.

Adunatio III^a
die 14 decembris 1971 - vespere habita

Rev.mus Secretarius petit a Consultoribus num ipsis placeat Relatio laborum Sessionis XIII^{ae}, sive quod attinet ad veritatem sive quod attinet ad integritatem eorum quae referuntur.

Rev.mus decimus Consultor notat adesse aliqua menda in textu can. 1103, § 3 et in can. 1109 §§ 1 et 2.

Rev.mus duodecimus Consultor dicit suam propositionem circa can. 1109 (Adunatio VIII^a) ita complendam esse: «matrimonia mixta celebrari possunt in ecclesia *vel in alio loco convenienti*».

His emendationes factis, Relatio Sessionis XIII^{ae}.

Rev.mus Secretarius legit novum textum can. 1015 prout recognitum in Sessione I et in praesenti Sessione:

Can. 1015

§ 1. Matrimonium quodlibet validum dicitur legitimum.

§ 2. Matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum, si nondum consummatum completum est; ratum et consummatum si coniuges inter se (humano modo) posuerunt coniugalem actum per se aptum ad proli generationem, ad quem natura sua ordinatur matrimonium, et quo coniuges fiunt una caro.

§ 3. Matrimonium quodvis invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

Aliqui Consultores censem § 1 indigere aliqua mutatione qua consequi potest vel suppressendo verbum « quodlibet », vel addendo verbum « etiam » (...dicitur *etiam* legitimum).

Suffragatur utrum placeat § 1 prout est necne:

Placet 11; non placet 1; placet iuxta modum 2.

Modi:

(1) suppressatur verbum « quodlibet »:

Placet 2; non placet 12.

(2) dicatur: « ...dicitur *etiam* legitimum »:

Placet 7; non placet 7.

N.B. Attento exitu sufragationis huius modi, verbum « etiam » addendus est in § 1 sed inter uncos.

Omnes Consultores approbant §§ 2 et 3.

Cann. 1114-1117 (de legitimis et illegitimis)

Rev.mus Relator censet recognitionem canonum 1114-1117 ad aliud tempus remittendam esse. Antea enim oportet videre quid statutum fuerit ab aliis Coetibus circa effectus canonicos legitimatis vel illegitimatis et

postea, si opus fuerit, redigendi erunt canones de nativitate legitima vel illegitima. Iam in alio quodam Coetu omnibus Consultoribus placuit non convenire ut ipsa illegitimas retineat effectus canonicos, uti habentur in canonibus 232, 320, 331, 504, 984, 1363, sed ut respiciatur defectus famae de facto existens, quae alicubi aliquando etiam ex illegitimitate oriri potest.

Ill.mus tertius decimus Consultor animadvertisit hos canones repugnare sensui christiana caritatis, qui sapiunt discriminationem et veluti persecutionem ob factum de quo filii sunt innocentes.

Exc.mus primus Consultor et Rev.mus Secretarius dicunt leges de illegitimitate et de eiusdem effectibus habere suum fundamentum in rationibus sociologicis et in «vitiis hereditariis», ut aiunt.

Adunatio IV^a
die 15 decembris 1971 - mane habita

Examinatur quaestio utrum retinenda sit necne in Codice distinctio inter filios legitimos et filios illegitimos.

Exc.mus quartus Consultor admittit quod in iure civitatum illa distinctio inter filios legitimos et filios illegitimos plerumque suppressa est, attamen tali quaestio non eosdem respectus habet in iure canonico ac in iure civili. In iure canonico enim considerari debent effectus peccati originalis, vitia hereditaria et alia huiusmodi et ideo non repugnat ut retineatur distinctio inter filios legitimos et filios illegitimos.

Exc.mus secundus Consultor censet adesse rationes graves sive pro suppressione sive pro retentione instituti illegitimitatis.

Tutio enim dignitatis humanae, quae in dies crescit post Concilium Vaticanum II, exigit suppressionem illius instituti; ex alia parte, tamen, parvipendi non possunt rationes sociologicae quae in multis regionibus suadent talem institutum retinere. Solutio forsan magis idonea huius quaestionis est committere iuri particulari ut statuat permanentiam instituti illegitimitatis.

Rev.mus sextus Consultor in lucem ponit rationes hereditarietatis, quae suadent ut retineatur institutum illegitimitatis, quorum effectus non debent considerari tamquam poena contra filios illegitimos, sed tantum ut munimenta contra pericula, quae ex vitiis hereditariis obvenire solent.

Rev.mus quintus Consultor censet theoriam hereditarietatis non habere solida fundamenta, quia pondus decisivum pro formatione indolis ho-

minum spectat ad educationem et ad bonos mores familiae. Unica ratio valida retinendi institutum illegitimitatis pertinet ad considerationes sociologicas, quare opportuna videtur propositio Exc.mi secundi Consultoris ut quaestio solvatur in iure particulari.

Rev.mus octavus Consultor petit suppressionem canonis 1114, qui distinctio inter filios legitimos et filios illegitimos scatet difficultatibus pastoralibus. Si quae sint regiones ubi talis distinctio desideratur ob rationes sociologicas, videant Conferentiae Episcopales num illa distinctio firmando sit et quinam sint effectus illegitimitatis in illa regione.

Rev.mus undecimus Consultor votum exprimit ut de illegitimis in iure caveatur non solum *ad illos arcendos* a dignitatibus et a muneribus ecclesiasticis, sed etiam ad peculiarem curam pastoralem pro ipsis fovendam, ita ut per bonam educationem minuantur effectus provenientes ex vitiis hereditariis.

Rev.mus decimus Consultor animadvertisit in hac parte Codicis solvendam esse tantum quaestionem utrum retiniri debeat institutum illegitimitatis necne. Quoad effectus praesumi potest quod leviores erunt in novo Codice, sed non potest supprimi ipsam notionem illegitimitatis.

Exc.mi primus et tertius Consultores et Rev.mi nonus, septimus et quartus decimus Consultores censem retinendam esse notionem illegitimitatis in hac parte Codicis.

Rev.mus duodecimus Consultor item censem notionem illegitimitatis in praesenti stadio societatis adhuc retinendam esse, attamen petit ne fiat mentio qualitatis illegitimitatis *adulterinae vel sacrilegæ*.

Exc.mus secundus Consultor Consultores monet ut considerent animadversionem Rev.mi decimi Consultoris circa munus huius Coetus statuendi scilicet utrum notio illegitimitatis retinenda sit in Codice necne: cum pertineat ad alios Coetus de effectibus illegitimitatis statuere.

Relator in lucem ponit quae de facto iam alii Coetus statuerunt circa hanc quaestionem, ut nempe nullus effectus sequatur ex illegitimitate quatali, sed potius respiciatur defectus famae de facto existens circa aliquam personam. Quaeri ergo posset num hic Coetus accedere velit ad illam sententiam aliorum Coetuum.

Rev.mus Secretarius censem non esse opportunum quaestionem ita ponere, quia si Coetus responderet negative, id saperet exprobationem sententiae aliorum Coetuum.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut suffragetur simpliciter utrum placeat tribuere infamiae facti effectus qui in iure vigenti tribuuntur illegitimitati natalium necne.

Exc.mus primus Consultor, Rev.mus Secretarius, et Rev.mus sextus Consultor vero proponunt ut in recto suffragetur utrum placeat necne servare in Codice institutum legitimitatis et illegitimitatis.

Haec novissima propositio omnibus placet et exitus suffragationis hic est:

Placet 10; non placet 4.

Quaeritur adhuc utrum placeat necne ut institutum legitimitatis et illegitimitatis in hoc loco Codicis servetur:

Placet 12; non placet 2.

Adunatio V^a
die 15 decembris 1971 - vespere habita

Quaeritur utrum placeat necne differre recognitionem canonum 1114-1117 usque dum recognoscantur effectus quos alii Coetus ex illegitimitate deducere statuerint.

Rev.mus Secretarius censet quod si Coetui placet recognitionem canonum 1114-1117 non differre, talis recognitio non ut definitiva habenda est, quia non potest omnino praescindi ab effectibus quos alii Coetus ex illegitimitate deducere statuerint. Pro nunc itaque sufficere posset ut maneat in Codice institutum illegitimitatis, quin descendatur ad ulteriores qualitates de filiis adulterinis vel sacrilegis. Ideo can. 1114 ita redigi posset:

« Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo ».

Fere omnes Consultores accedunt ad propositionem Rev.mi Secretarii; non accedunt vero Exc.mus tertius et Rev.mi quintus et decimus Consultores, quibus mirum videtur ut omittantur casus maximi scandali provenientes ex illegitimitate adulterina et sacrilega.

Rev.mus Secretarius dicit nullum damnum provenire posse ex silentio qualitatis aggravantis, quia in casu dispensationis ab irregularitate illegitimitatis tales circumstantiae illegitimitatis adulterinae vel sacrilegae certo certius patefieri debent in precibus et ideo superioris erit illas circumstantias aggravantes considerare antequam dispensationem concedat.

Rev.mus quintus Consultor respondet considerationem Rev.mi Secretarii non comprehendere casum filiorum sacrilegorum de quibus in can. 1114, quia tales fillii non nascuntur ex relatione extraconiugali, sed ex matrimonio valido cuius usus est prohibitus.

Rev.mus Relator notat quod haec qualitas illegitimitatis sacrilegæ de qua in can. 1114 est tam rara, ut de ipsa tuto sileri potest.

Exc.mus primus Consultor item accedit ad propositionem Rev.mi Secretarii circa redactionem can. 1114, attamen vellet addere hanc clausulam: "nisi a iure aliud caveatur".

Suffragatur utrum placeat can. 1114 ita redigere (« Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo ») necne:

Placet 9; non placet 3.

Can. 1114 ita redacto et approbato, Rev.mus Relator notat in can. 1051 dari casus filii legitimi nati aut concepti ex matrimonio non valido; ideo in can. 1114 oporteret addere in fine: « salvo can. 1051 ».

Sed Rev.mus decimus Consultor dicit casum canonis 1051 non esse exceptionem can. 1114, quia proles de qua in can. 1051 nata vel concepta est *ante* matrimonium.

Relator admittit animadversionem Rev.mi decimi Consultoris ex parte, scilicet tantum quoad *natam* prolem non autem quoad prolem *conceptam* ante matrimonium. Ideo ad coordinandos illos duos canones oportet supprimere in can. 1051 verba « *vel conceptam* ».

Suffragatur utrum placeat supprimere in can. 1051 verba « *vel conceptam* » necne:

Placet 8; non placet 3; abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1115

Circa § 1 omnes Consultores, excepto Rev.mo quarto decimo Consultore, qui se abstinet, concordant ut servetur prout est, scilicet:

« Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidenteribus argumentis contrarium probetur ».

De § 2 (« Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalnis ») autem habentur nonnullae animadversiones.

Rev.mus octavus Consultor proponit suppressionem § 2, quia, dicit ipse, sufficit can. 1114. Sed Rev.mus Secretarius respondet § 2 non esse inutilem, quia complet et melius determinat normam canonis 1114.

Plures Consultores proponunt ut in praesenti canone computentur

dies potius quam menses (Rev.mi quintus, quartus decimus, decimus, undecimus et duodecimus Consultores).

Rev.mus Relator notat nullam adesse differentiam inter computacionem per menses et computationem per dies, quia in iure omnes menses sunt pares, scil. 30 dierum (can. 32).

Exc.mus quartus et Rev.mus quartus decimus Consultores censem terminum sex mensium a die celebrati matrimonii contrahi aliquantulum posse, quia nunc temporis, ob progressus scientiae medicorum, tenentur in vita etiam pueri nati post quinque menses a die conceptionis.

Rev.mus Secretarius respondet talem contractionem termini sex mensium non esse necessariam, quia in canone sermo est de praesumptione, contra quam, ut patet, admittitur exceptio quae demonstrari possit.

Suffragatur utrum placeat retinere § 2 necne:

Placet 10; non placet 2.

Suffragatur utrum placeat computare dies potius quam menses necne:

Placet 7; non placet 5.

Ergo § 2 ita mutari debet:

« Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post dies 180 a die celebrati matrimonii, vel intra dies 300 a die dissolutae vitae coniugalnis ».

Adunatio VI^a
die 16 decembris 1971- mane habita

Can. 1116

Examinatur can. 1116 qui ita sonat in CIC:

« Per subsequens parentum matrimonium sive verum sive putativum, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consummatum, legitima efficitur proles, dummodo parentes habiles exstiterint ad matrimonium inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis, vel nativitatis ».

Consultores sequentes emendationes proponunt:

(1) dicatur « validum » loco « verum » (Exc.mi primus, secundus et tertius Consultores et Rev.mus octavus Consultor).

(2) omittantur verba «conceptionis vel praegnationis» (Exc.mus quartus et Rev.mus septimus Consultores).

(3) supprimatur integra clausula «dummodo parentes habiles exstinent, etc...» (Exc.mus secundus et Rev.mus undecimus Consultores).

Rev.mus decimus Consultor censet in hoc canone adesse aliquam lacunam, quia non recensentur omnes modi quibus legitimatio consequi potest, ideo proponit hanc novam redactionem canonis:

«Filii illegitimi legitimantur:

1° per subsequens matrimonium parentum sive validum sive putativum, nisi tempore conceptionis obstiterit impedimentum ligaminis, sacri ordinis vel voti sollemnisi;

2° per rescriptum competentis auctoritatis ecclesiasticae.

Si redactio huius canonis placet, addit Rev.mus decimus Consultor, non amplius necessarius est can. 1051, qui proinde supprimi potest.

Propositio Rev.mi decimi Consultoris omnibus placet quoad substantiam, attamen sequentes animadversiones habentur:

(1) In 1° omitti posset clausula «nisi tempore conceptionis obstiterit impedimentum ligaminis, sacri ordinis vel voti sollemnisi», quia legitimatio est actus gratiae et quia in his casibus matrimonium celebratur post obtentam dispensationem ab impedimento et ideo deficit ratio puniendi ulterius prolem, quae, ceterum, est innocens (Exc.mi secundus et quartus Consultores et Ill.mi octavus, quintus, septimus, nonus, undecimus et tertius decimus Consultores et Rev.mus Relator).

(2) Si in canone ponitur alius modus legitimandi prolem, scilicet per rescriptum competentis auctoritatis ecclesiasticae, legitime aliquis quaerere posset cur non recenseatur et alius modus qui habetur per sanationem in radice (Exc.mus quartus et Rev.mus nonus Consultor).

Rev.mus decimus Consultor respondet non esse necessarium expresse recensere etiam legitimationem per sanationem in radice, quia talis modus legitimationis includitur in formula canonis ab ipso proposita.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo decimo Consultore.

(3) Rev.mus Relator proponit ut prima verba canonis ita mutentur: «Filii illegitimi legitimi fiunt, etc.» loco «Filii illegitimi legitimantur».

Rev.mus decimus Consultor praefert ut retineatur verbum «legitiman-
tur» quia hoc modo salva erit distinctio terminologica inter legitimos, ille-
gitimos et legitimatos, dum quoad rem nulla est differentia inter legitimos
et legitimatos.

Rev.mus quintus Consultor accedit ad sententiam Rev.mi Relatoris,
quia si retinetur verbum «legitiman-
tur», non habebitur tantum differentia
terminologica, sed etiam differentia quoad rem.

(4) Rev.mus Secretarius dicit melius esse si dicatur explicite quaenam
sit auctoritas ecclesiastica quae dare potest rescriptum legitimationis.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut dicatur «2º. per rescriptum
datum a Sede Apostolica».

At Rev.mus Secretarius censet talem facultatem esse reservatam principi,
ideo proponit ut dicatur: «2º. per rescriptum datum a Romano Pontifice».

His disceptatis, sequentes suffragationes fiunt:

(1) utrum placeat dicere «legitimi fiunt» loco «legitiman-
tur» necne:

Placet 5; non placet 6.

(2) utrum placeat necne supprimere verba: «nisi tempore conceptionis
obstiterit impedimentum ligaminis, sacri ordinis vel voti sollemnisi»:

Placet 7; non placet 2; abstinent a sententia ferenda 2.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut formula canonis ita melius
redigatur:

«Filii legitimi legitimantur praeterquam per rescriptum Romani Ponti-
ficii, per subsequens matrimonium parentum sive validum sive putativum».

Placet 7; non placet 3; abstinent a sententia ferenda 1.

Deinde quaeritur utrum placeat supprimere can. 1051 necne:

Omnibus placet.

Can. 1117

Examinatur can. 1117, qui ita sonat in CIC:

«Filii legitimati per subsequens matrimonium, ad effectus canonicos
quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cau-
tum fuerit».

Consultores sequentes emendationes proponunt:

(1) omittantur verba « per subsequens matrimonium » (Exc.mus secundus Consultor):

Propositio omnibus placet.

(2) supprimantur verba « nisi aliud expresse caustum fuerit » (Rev.mus quintus Consultor):

Placet 4; non placet 7.

(3) dicatur: « nisi aliud in iure communi vel in iure particulari caustum sit » (Exc.mi secundus et quartus Consultores et Rev.mus octavus Consultor):

Placet 3; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

Adunatio VII^a
dei 16 decembris 1971 - vespera habita

Caput X

DE SEPARATIONE CONIUGUM

Art. 1 – *De dissolutione vinculi*

Can. 1118

« Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nulla causa, praeterquam morte, dissolvi potest ».

Circa hunc canonem sequentes animadversiones habentur:

Rev.mus quintus Consultor censet can. 1118 supprimi posse sine ullo detrimento pro disciplina canonica, quia agitur de principio aliquo dogmatico.

Exc.mus quartus Consultor defendit opportunitatem servandi hunc canonom ob eamdem rationem propter quam servatus est can. 1013 de proprietatibus essentialibus matrimonii, ut scilicet clare etiam in lege innotescant principia essentialia ex quibus oritur disciplina canonica matrimonii, quae quidem ratio nostris temporibus suum peculiare momentum habet.

Suffragatur utrum placeat servare can. 1118 necne:

Placet 8; abstinet a sententia ferenda 3.

Exc.mus quartus et Rev.mus nonus Consultores proponunt ut initio ita mutetur canon: « Matrimonium duorum baptizatorum ratum et consummatum, etc. ». Rev.mi octavus et decimus Consultores animadvertunt verba can. 1118 deprompta esse a Concilio Tridentino, quae non licet mutare nisi ob gravissimam causam.

Suffragatur utrum placeat dicere « Matrimonium duorum baptizatorum » necne:

Placet 2; non placet 9.

Exc.mus secundus Consultor proponit suppressionem verbi « validum ». Suffragatur haec propositio:

Placet 4; non placet 6; abstinet a sententia ferenda 1.

Can. 1119

Rev.mus Relator proponit novam formulam can. 1119 quam ipse rededit, attentis votis Consultorum:

« Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam a Romano Pontifice (aut: ab Ordinario loci) dissolvi potest iusta (aut: proportionata) ex causa, utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita ».

Examinantur singulae mutationes, quae per hanc novam formulacionem proponuntur:

1. *De suppressione verborum « tum ipso iure per sollemnem professionem religiosam » (cf. CIC can. 1119)*

Fere omnes Consultores concordant circa suppressionem horum verborum, quia agitur nunc temporis de casibus rarissimis, de quibus poterit provideri per rescriptum Sanctae Sedis.

Exc.mus tertius et Rev.mus decimus Consultores autem vellent illa verba retinere in canone.

Rev.mus decimus Consultor notat esse veritatem fidei, sancitam a Concilio Tridentino, quod sollemnitas professio religiosa dissolvat ipso iure

matrimonium ratum et non consummatum. Haec veritas in sua realitate obiectiva non potest mutari vel supprimi, quamvis illa verba non retineantur in can. 1119; ideoque si veritas manet, melius est ut illa verba retineantur in Codice, ne ipsa veritas in oblivionem cadat.

Rev.mus Secretarius admittit illam veritatem sancitam esse a Concilio Tridentino, attamen ipsum Concilium non definivit notionem professionis sollemnisi. Argumentari ergo ita posset: illa veritas ligata est notioni professionis sollemnisi quae habebatur tempore Concilii Tridentini. Si in novo Codice non retinetur illa notio professionis sollemnisi, sileri etiam potest de effectibus cum illa notione connexis. De facto autem in novo iure religiosorum mens est suppressi distinctionem inter professionem simplicem et professionem sollemnem, ita ut omnia vota eosdem effectus habeant. Unica distinctio erit inter vota temporaria et vota perpetua.

Exc.mus tertius Consultor et Rev.mus Relator censem non fuisse mentem Concilii Tridentini definire quod professio sollemnisi religiosa dissolvit matrimonium iure divino, sed tantum quod illa disciplina tunc vigens erat recta. Concilium solummodo condemnavit errorem Protestantium, non sententiam hic in coetu propositam.

Exc.mus primus Consultor, Rev.mus Secretarius et Rev.mus quintus Consultor dicunt Ecclesiam habere potestatem ordinandi disciplinam votorum eorumque effectus statuendi.

Exc.mus secundus Consultor proponit ut illa verba retineantur in canonе, inter uncos tamen posita, ita ut res decernatur in instantia superiori.

His dictis, sequentes suffragationes habentur:

Utrum placeat retinete in canone illa verba necne:

Placet 2; non placet 9; abstinet a sententia ferenda 1.

Utrum placeat ponere illa verba inter uncos necne:

Placet 3; non placet 7; abstinet a sententia ferenda 1.

Utrum placeat supprimere illa verba:

Placet 9; non placet 2; abstinet a sententia ferenda 1.

Adunatio VII^a
die 17 dicembris 1971 – mane habita

Prosequitur discussio de canone 1119.

2. *Utrum matrimonium ratum et non consummatum dissolvi possit ab ordinariis locorum necne*

Rev.mus Secretarius quaerit a Consultoribus ut dicant suam sententiam num agnoscenda sit Episcopis facultas dissolvendi matrimonii rata et non consummata et, quatenus affirmative, utrum talem facultatem ipsi habeant iure proprio an ex delegatione, scil. Romani Pontificis.

Exc.mus tertius Consultor dicit difficillimum esse decernere num talis facultas competit Episcopis iure proprio vel ex delegatione, cum haec quaestio ad theologos pertineat. Huius Coetus est statuere utrum tribui debat necne in Codice talis potestas Episcopis, quidquid sit de quaestione theologica; Exc.mus tertius Consultor tamen censem talem facultatem non esse tribuendam Episcopis.

Rev.mus octavus Consultor in lucem ponit rationes practicas quae suadere videntur concessionem huiusmodi facultatis Episcopis, ut nempe maior celeritas consequatur in definiendis causis dispensationis super rato.

Rev.mus sextus Consultor dicit quamcumque exceptionem a lege divina indissolubilitatis matrimonii fieri posse a solo Summo Pontifice, quia ipse tantum interpretari potest *auctoritative* ius divinum, dum Episcopi interpretari possunt *auctoritative* ius divinum tantummodo si collegialiter agant, scilicet in Concilio Oecumenico.

Summus Pontifex delegare certo posset talem facultatem Episcopis, sed facile praesumi potest quod aliqui Episcopi non vacarent ababusis in hac materia et praeterea solutiones difformes darentur ab uno vel alio Episcopo. Ad summum, dicit Rev.mus sextus Consultor, dari posset Episcopi facultas dispensandi super rato quando certo constet de inconsummatione *ex argumento physico*.

Rev.mus quintus Consultor censem non pertinere ad hunc Coetum solutionem quaestionis num Episcopis competit haec facultas iure proprio. Circa opportunitatem autem concedendi talem facultatem Episcopis, Rev.mus quintus Consultor dicit se esse ancipitem.

Rev.mus septimus Consultor admittit quod aliqui Episcopi desiderant ut haec facultas ipsis tribuatur, attamen maior pars Episcoporum, dicit ipse, volunt ut talis facultas sit reservata Summo Pontifici, quia pro ipsis esset nimis onerosa.

Exc.mus primus Consultor, Rev.mi nonus et quartus decimus Consultores dicunt hanc facultatem esse unius Summi Pontificis, quam non licet delegare Episcopis ob difficultatem materiae.

Rev.mus undecimus Consultor proponit ut in can. 1119 addatur alia paragraphus in qua dicatur Episcopos dispensare posse super rato et non consummato, *iuxta peculiares normas a Sancta Sede latae*.

Rev.mus decimus Consultor, qui censem hanc potestatem pertinere ad Summum Pontificem, accedit ad solutionem propositam a Rev.mo undecimo Consultore.

Rev.mus nonus Consultor autem non approbat solutionem propositam a Rev.mo undecimo Consultore, quia si diceretur Episcopos dispensare posse super rato iuxta peculiares normas Sanctae Sedis, Episcopi interpretari possent talem potestatem ad ipsos pertinere iure proprio.

Exc.mus primus Consultor instat circa suam thesim de exclusiva potestate Summi Pontificis dispensandi super rato, quia haec facultas ipsi competit ex potestate vicaria; de facto numquam Summus Pontifex hanc facultatem aliis delegavit, ne Dicasteriis quidem Curiae Romanae.

Rev.mus Secretarius monet Consultores ut circa hanc potestatem agant ut certo existentem in Ecclesia, quin appellant ad notionem de potestate vicaria, quia talis notio est obscura.

His dictis, suffragatur num placeat dicere aliquid de potestate episcorum in § 2:

Placet 4; non placet 7.

3. *Utrum placeat dicere « a Romano Pontifice dissolvi potest » loco « dissolvitur per dispensationem a Sede Apostolica » necne*

Circa hanc quaestionem duas suffragatones fiunt:

(1) utrum placeat dicere « a Romano Pontifice » necne:

Placet 8; non placet 2; abstinet a sententia ferenda 1.

(2) utrum placeat supprimere « per dispensationem » necne:

Placet 9; abstinent a sententia ferenda 2.

Adunatio IX^a
die 17 decembris 1971 - vespere habita

4. *Utrum placeat dicere «proportionata ex causa» loco «iusta ex causa» necne*

Quaestio resolvitur per suffragationem, cuius exitus hic est:
Placet 2; non placet 7; placet iuxta modum 3.

Modus:

Dicatur «iusta et proportionata ex causa»:
Placet 5; non placet 7.

5. *Utrum supprimi possit necne clausula «utraque parte rogante vel alterutra, etsi altera sit invita»*

Rev.mus undecimus Consultor proponit suppressionem huius clausulae, quia aliquando partes non petunt dispensationem ob indifferentiam vel ob animum hostilem adversus Ecclesiam et tamen dari potest tertia aliqua persona quae interesse habere potest ut detur illa dispensatio, ratione novi matrimonii contrahendi.

Exc.mus primus Consultor non vult supprimere illam clausulam, quia pertinet ad partes, quae dederunt consensum matrimoniale, manifestare suam voluntatem obtinendi dispensationem super rato.

Rev.mus quintus Consultor admittit quod ordinarie summus Pontifex non potest dare dispensationem quin saltem una pars petat dispensationem, tamen non repugnat quod Summus Pontifex, accidente gravissima causa uti est bonum animarum, det dispensationem neutra parte petente.

Rev.mus decimus Consultor censet Summum Pontificem dare posse dispensationem super rato quando partes sint indifferentes et adsit interesse tertiae personae.

Rev.mus Relator, examinando casum propositum a Rev.mo undecimo Consultore, animadvertisit quod quis potest esse invitus ad *petendam* solutionem matrimonii non autem ad solutionem ipsam, quam de facto desiderat ex eo quod iam intendit novas nuptias inire. In hoc casu Summus Pontifex potest dissolvere matrimonium ratum, etsi neutra pars petat.

Rev.mus quintus Consultor proponit ut illa clausula canonis ad haec verba reducatur: «nisi utraque pars sit invita».

Relator consentit cum Rev.mo quinto Consultore, quia finis directus huius canonis est declarare potestatem Summi Pontificis dispensandi super rato; quinam autem habeant ius petendi dispensationem statui debet in iure processuali.

Suffragatur utrum placeat clausula « nisi utraque pars sit invita » necne:
Placet 5; non placet 7.

Relator proponit utrum placeat ita clausulam mutare « etsi alterutra pars sit invita » necne:

Placet 7; non placet 5.

Adunatio X^a
die 18 decembris 1971 - mane habita

Rev.mus Relator proponit ut canon 1120 ita redigatur:

« § 1. Matrimonium legitimum initum a duobus non baptizatis solvi potest in favorem fidei partis postea baptizatae, dummodo altera pars discedat, ad normam canonum sequentium.

§ 2. Discedere censetur altera pars si in pacifica cohabitatione coniugali perseverare nolit aut nequit, nisi compars gravi ex culpa iustum ipsi dederit discedendi causam ».

Plures Consultores censem descriptionem casus Apostoli, praebitam a Rev.mo Relatore in hac formula, non esse completam, immo partim esse erroneam. Non potest enim dici quod tale matrimonium « solvi potest », quasi per interventum potestatis Summi Pontificis, quia in casu agitur de facto, seu de datis circumstantiis, quibus positis iam habetur solutio matrimonii (Exc.mi primus, secundus et tertius Consultores).

Ut habeatur solutio matrimonii requiritur praeterea conversio unius coniugis ad fidem (Exc.mi tertius et secundus Consultores) et novum matrimonium partis conversae (Rev.mus quintus et decimus Consultores).

Ill.mus tertius decimus Consultor animadvertisit « pacificam cohabitationem », de qua in § 2, indigere aliqua qualificatione ut appareat hic agi de cohabitatione sine contumelia Creatoris, id est de cohabitatione quae non impedit libertatem religiosam partis conversae.

Exc.mus quartus Consultor et Rev.mus decimus Consultor petunt ut maneat in canone mentio «privilegii paulini».

Exc.mus primus et Rev.mus undecimus Consultores dicunt verbum «legitimum» (*matrimonium legitimum*) esse inutile, immo inopportunum, et Rev.mus Secretarius confirmat hanc sententiam quia iam in canone dicitur «matrimonium initum a duobus non baptizatis».

Rev.mus Relator censet verbum «legitimum» servari posse, quia si matrimonium non est certo validum, applicatur can. 1127 de favore privilegii fidei.

Rev.mus undecimus Consultor, attentis animadversionibus Consultorum circa novam formulam Rev.mi Relatoris, dicit se persuasum esse conamen describendi vel definiendi privilegium paulinum esse periculosum ob difficultatem coadunandi in definitione omnia omnino elementa huiusmodi casus Apostoli. Quare Rev.mus undecimus Consultor proponit ut servetur can. 1120 prout est in CIC.

Rev.mus Relator respondet a tempore CIC usque nunc clariorem distinctionem habitam esse in doctrina inter privilegium paulinum et privilegium petrinum: en ratio necessitatis vel saltem opportunitatis describendi in novo Codice illa duo instituta.

Rev.mus undecimus Consultor admittit necessitatem definitionis privilegii petrini, non autem privilegii paulini, quia notio privilegii paulini iam satis nota est sive in doctrina sive in praxi.

Rev.mus quintus Consultor Consultores monet ut considerent num iam confici debeat nova sistematatio materiae de dissolutione vinculi secundum hunc ordinem: primo loco dicatur de potestate Summi Pontificis circa matrimonium ratum et non consummatum; secundo loco autem ponatur potestas Summi Pontificis circa alia matrimonia, non exclusis matrimoniis in quibus verificatur casus Apostoli.

Rev.mus Secretarius et Rev.mus nonus Consultor dicunt propositionem Rev.mi quinti Consultoris admitti non posse, quia casus Apostoli non potest congregari cum aliis casibus solutionis matrimonii, cum in casu Apostoli Pauli non habeatur interventus potestatis Summi Pontificis.

Quoad solutionem aliorum matrimoniorum ex potestate plena Summi Pontificis, Exc.mus primus Consultor censet quaestionem non esse adeo claram in doctrina, ut iam aliqua norma circa hanc rem in Codice statui possit. Neque videtur quaestionem solvi posse ex praxi Sanctae Sedis, quia casus huius interventus Summi Pontificis, ut patet ex historia, rarissimi fuerunt.

Rev.mus Secretarius censet sententiam Exc.mi primi Consultoris esse nimis rigidam et probat possibilitatem redigendi canonem, de potestate Summi

Pontificis solvendi matrimonia infidelium, ex analogia cum aliis institutis iuridicis et praesertim cum instituto de dispensatione super rato. Historia enim docet prius adfuisse in Ecclesia aliquos casus dispensationis super rato et postea per ventum esse ad propositionem principii de potestate Summi Pontificis solvendi matrimonium ratum et non consummatum.

His disceptatis, Rev.mus decimus Consultor proponit aliam formulam canonis 1120:

« Matrimonium, a duobus non baptizatis initum, ex privilegio paulino in favorem fidei partis postea baptizatae, altera parte non baptizata, solvitur novo partis baptizatae matrimonio, ad normam canonum sequentium ».

Circa hanc formulam sequentes animadversiones habentur.

Exc.mus secundus Consultor dubitat de opportunitate verborum « partis postea baptizatae ».

Exc.mus quartus Consultor addere vellet quod tale matrimonium solvitur *etiamsi sit consummatum*. Praeterea Exc.mus quartus Consultor omittere vult ultima verba « ad normam canonum sequentium », quia in hoc canone agitur de enuntiatione principii.

Rev.mus sextus Consultor proponit ut dicatur « ...partis postea baptizatae *in Ecclesia Catholica* » et ut dicatur « servatis canonibus sequentibus » loco « ad normam canonum sequentium ».

Rev.mus Relator proponit ut dicatur « altera parte non baptizata *discendente* ».

Rev.mus nonus Consultor et Rev.mus sextus Consultor censem verba « ex privilegio paulino » esse superflua.

His dictis, cum tempus deficiat, finis sessioni imponitur.

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

Can. 1015

§ 1. Matrimonium quodlibet validum dicitur (etiam) legitimum.

§ 2. Matrimonium baptizatorum validum dicitur ratum, si nondum consummatum completum est; ratum et consummatum si coniuges inter

se (humano modo) posuerunt coniugalem actum per se aptum ad prolis generationem, ad quem natura sua ordinatur matrimonium, et quo coniuges fiunt una caro.

§ 3. Matrimonium quodvis invalidum dicitur putativum, si in bona fide ab una saltem parte celebratum fuerit, donec utraque pars de eiusdem nullitate certa evadat.

Can. 1114

Legitimi sunt filii concepti aut nati ex matrimonio valido vel putativo.

Can. 1115

§ 1. Pater is est quem iustae nuptiae demonstrant, nisi evidentibus argumentis contrarium probetur.

§ 2. Legitimi praesumuntur filii qui nati sunt saltem post dies 180 a die celebrati matrimonii, vel intra dies 300 a die dissolutae vitae coniugalnis.

Can. 1116

Fili illegitimi legitimantur praeterquam per rescriptum Romani Pontificis, per subsequens matrimonium parentum sive validum sive putativum.¹

Can. 1117

Fili legitimi, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequi- parantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit.

¹ Consultores, post recognitionem canonis 1116, statuerunt unanimiter suppressionem canonis 1051.

Caput X
DE SEPARATIONE CONIUGUM

Art. 1 – *De dissolutione vinculi*

Can. 1118

Matrimonium validum ratum et consummatum nulla humana potestate nullaque causa, praeterquam morte, dissolvi potest.

Can. 1119

Matrimonium non consummatum inter baptizatos vel inter partem baptizatam et partem non baptizatam a Romano Pontifice dissolvi potest iusta ex causa, etsi alterutra pars sit invita.

